

3531 S. Gregorio in casa di Gio. Batt. Rocco.

D · M  
M · AVRELIO  
FELICISSIMO  
SATVRNINA  
5 FECIT

Revillas sched. Berol.

3532 fistula plumbea rep. Castel S. Gregorio nelle ruine di una antica chiesa nel monte di Folta Cerella anno 1744, cum ab incolis eius oppidi reliquiae S. Silviae quaererentur CASS. Aedificiorum antiquorum eo loco repertorum ichnographiam dat Cassius in tab. ad p. 190.

SABIDIVS DIONYSIVS FEC

Cassio memorie di S. Silvia (1757) p. 190.

Repetivi infra n. 3705, ubi cf.

XXX. TIBVR (*Tivoli*). Tribu Camilia.

Tiburis<sup>1)</sup> conditorem alii ex antiquis Tiburnum<sup>2)</sup> voluerunt fuisse sive Tiburtum<sup>3)</sup>, cuius Tiburni memoria etiam imperatorum aetate Tibure colebatur<sup>4)</sup>, alii Catillum<sup>5)</sup>, quod nomen monti erat sito iuxta Tibur<sup>6)</sup>. Hunc Catillum Cato, teste Solino<sup>7)</sup>, scripsit fuisse Arcadem, praefectum classis Euandri; alii<sup>8)</sup>, inter quos fuit Sextius aliquis praeterea ignotus, tam Catillum quam Tiburnum, quos fratres fuisse voluerunt et quibus tertium addiderant fratrem Coram<sup>9)</sup>, Argivos fecerunt, Amphiarai regis vel filios<sup>10)</sup> vel nepotes<sup>11)</sup>; quam opinionem sequuntur Vergilius Horatius Ovidius<sup>12)</sup>. Ei qui primos Latii incolas statuerant fuisse Siculos, his supervenisse Aborigines, ad Siculos Tiburis originem refe-

1) Latinis constanter dicitur Tibur genere neutro. Graeci varie se torserunt ut nomen ipsorum sermoni adaptarent: modo eis dicitur Τίβυρ (nam inde declinatum est Τίβυρος apud Appianum b. c. 5, 24), modo Τίβυρον (Appian. b. c. 3, 45, 58; Procop. b. Goth. 3, 10, 11, 24), modo Τίβυρτόν sive Τίβυρτός (Appian. 1, 65), modo Τίβυρτις (Stephanus s. v.), denique pluraliter Τίβυρτα (Artemidorus geographus citatus a Stephano; Dionys. 5, 37) vel Τίβυρτα (Nicanor Hermiae f. citatus a Stephano s. v.; Strabo p. 238; Procop. Goth. 2, 4). — Ethnicum in inscriptione saeculi sexti exeuntis n. 3584 est *Teiburs*, Varroni de l. l. 8, 53, 9, 34 *Tiburs*, reliquis auctoribus qui extant modo *Tiburs* modo *Tiburtinus*, plane promiscue; ceterum illud fuisse usus vetustioris inde apparet quod in inscriptionibus senatus populusque dicitur Tiburs (n. 3580. 3610. 3638. 3657), item decuriones (3586. 3611. 3674) et sacerdotes publici (n. 3677. 3679), collegia denique Tibure constituta (n. 3601. 3643. 3677) semper appellantur Tiburtes, non Tiburtini.

2) Plin. h. n. 17, 237: *Tiburtes quoque originem multo ante urbem Romam habent: apud eos extant ilices tres etiam Tiburno conditore eorum vetustiores apud quas inauguratus dicitur.*

3) Tiburnus dicitur Horatio carm. 1, 7, 13, Statio silv. 1, 3, 77, Plinio (not. 2), Tiburtus Vergilio Aen. 7, 671, item ei auctori ex quo pendent Solinus et Servius (not. 8), licet hic ex *Tiburti* male effecerit primum casum *Tibur*.

4) Certe *Tiburni lucus* memoratur ab Horatio carm. 1, 7, 12, *Tiburni luculus* a Suetonio in vita Hor. p. 47 ed. Reifferscheid.

5) Is, Catillus dictus reliquis auctoribus omnibus, imprimis Vergilio, Horatio carm. 1, 18, 2 (*mite solum Tiburis et moenia Catili*) dicitur *Catilus* paenultima correpta.

6) Serv. ad Verg. Aen. 7, 672: *Catillus, unde mons Catilli, quem Catelli dicunt per corruptionem, iuxta Tibur.*

7) Vide not. 8.

8) Solinus 2, 8 p. 35 M.: *Tibur, sicut Cato facit testimonium (conditum) a Catillo Arcade, praefecto classis Euandri, sicut Sextius, ab Argiva iuventute. Catillus enim, Amphiarai filius, post prodigiale patris apud Thebas interitum Oeclei avi iussu cum omni fetu ver sacrum missus tres liberos in Italia procreavit, Tiburtum Coram Catillum, qui depulsis ex oppido Siciliae veteribus Sicaniis a nomine Tiburti fratris maximi urbem vocaverunt.* Servius ad Verg. Aen. 7, 670: *de Graecia tres fratres venere ad Italiam, Catillus, Coras, Tibur vel Tiburnus, hi simul omnes unam fecere civitatem et eam de fratris maioris nomine Tibur appellaverunt.*

9) Hoc nomen cur indiderint Tiburis conditori, non satis liquet. Servius ad Aen. 7, 672 significat, id quod etiam per se probabile est, nomen illud ductum esse a Cora oppido (sive, quod eodem redit, ab Argivi Corae nomine civitatem esse appellatam). Possis inde conicere coniunctionem aliquam antiquitus fuisse inter Tiburtinos et Coranos nobis ignotam.

10) Plin. 17, 237 post relata in not. 2 pergit: *fuisse autem eum (Tiburnum) tradunt filium Amphiarai qui apud Thebas obierit una aetate ante Iliacum bellum.* Etiam is a quo pendent Servius (not. 8) cum ait tres fratres venisse in Italiam, non potest putavisse in Italia a Catillo maiore eos esse procreatos.

11) Sextius apud Solinum (vide not. 8).

12) Vergil. Aen. 7, 670: *tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt, fratris Tiburti dictam cognomine gentem, Catillusque acerque Coras, Argiva iuventus.* Idem Vergilius cur alio loco (Aen. 9, 360) Tiburtem aliquem nomine Remulum in carmen induxerit, non liquet (a Vergilio id nomen mutuatus est Silius Ital. 4, 186). — Horat. carm. 2, 6, 5: *Tibur Argeo positum colono.* — Ovidius amor. 3, 6, 48: *Tiburis Argei arva;* fast 4, 72: *moenia Tiburis udi, Argolicae quod posuere manus.*

rebant, argumento etiam usi quod pars urbis nomen retineret Sicelio (Dionys. 1, 16; cf. Solinus l. c.: *depulsis ex oppido Siciliae veteribus Sicaniis*); qui totum Latium ab Alba Longa repetebant, non potuerunt non enumerare Tibur inter colonias ab Albanis regibus deductas (Diodor. lib. VII). Vergilio placuit commemorare Tibur inter civitates Latino regi contra Aeneam auxilium ferentes (Aen. 7, 630. 670); eidem (l. c. v. 630) cur in mentem venerit Tibur appellare *superbum* (a Vergilio pendet Symmachus ep. 7, 15), ego nescio, sed certe id ille non fecit propter eam causam quam sibi excogitavit grammaticus nescio quis apud Servium. Situm fuit Tibur in ripa sinistra Anienis ibi ubi hodie est *Tivoli*; finitimum igitur fuit Sabinis — adeo ut fundus Catulli ab ipso dici potuerit Tiburs, ab aliis Sabinus (Catull. 44, 1—5)<sup>13)</sup> — nec tamen ipsum Sabinum; nam quod Plinius in chorographia Italiae (3, 107) Tibur Sabinis adscripsit, id omnino errore factum est, nato ut puto inde quod Tiburtini ab Augusto non, ut reliqui Latini, regioni Italiae primae, sed, ut Sabini, regioni quartae adtributi erant<sup>14)</sup>. Adest Tibur in elencho populorum Latii inserto a Dionysio 5, 61 historiae anni ab u. c. 256; fuisse Tiburtings inter eos populos Latinos quibuscum anno 261 Sp. Cassius foedus percussit Cicero significat oratione qua Balbum defendit 23, 53<sup>15)</sup>. — Bellorum quae urbs olim valida gesserit cum Volscis et victoriae de his reportatae tenuis memoria superest apud Servium ad Verg. Aen. 8, 285<sup>16)</sup>. — In historia urbis Romae Tiburtini memorantur primum anno u. c. 393; quo anno dicuntur consulibus Romanis portas clausisse (Liv. 7, 9, 1) — quasi aperire eas debuerint — et mox se coniunxisse cum Gallis (Liv. 7, 11, 1). Bellum inde ortum, quo saepius Tiburtini victi esse dicuntur, capta ex eis oppida duo alioquin ignota Empulum (Liv. 7, 18, 2) et Sassula (ib. c. 19, 1), bis de eis triumphatum, anno 394 et anno 400 (fasti triumph. Capitolini; Liv. 7, 11, 9; c. 19, 2). Deinde bello Latino a. 415 iterumque anno 416 coniuncti cum Praenestinis ad Pedum urbem cum Romanis conflixerunt (Liv. 8, 12, 7; c. 13, 4), sed victi sunt (Liv. 8, 13, 6; fasti triumph.) agroque multati (Liv. 8, 14, 9). Fuerunt inde ab hoc tempore socii Romanorum, eodem iure quo Praenestini, sed animis ut puto multo placatioribus quam illi; certe cum de Praenestinis complura narrentur unde apparet veteres suos spiritus eos ne sexto quidem urbis conditae saeculo deposuisse (cf. supra p. 288), Tiburtinorum benevole tantum et officiose facta Romanorum memoriae videntur inhaesisse. Dicuntur anno u. c. 443, cum tibicines qui sacris publicis Romae praesto erant civibus suis irati Tibur secessissent, rogati a Romanis operam dedisse et effecisse ut hi homines Romanis restituerentur (Liv. 9, 30, unde Val. Max. 2, 5, 4; Ovid. fast. 6, 657 seq.); sed haec res fortasse magis apte ficta est quam vera, ad annum autem 443 sine dubio ideo tantum relata ut coniungeretur cum censura Appii Claudii et Plautii Venocis. Ceterum quo ducit haec narratio, Tiburtinis ius fuisse exules Romanos apud se recipiendi, id diserte testatur Polybius

13) Similiter Suetonius in vita Horatii ait Horatium plurimum vixisse *in secessu ruris sui Sabini aut Tiburtini*, cogitans sine dubio de eo praedio quod ipse Horatius constanter appellat Sabinum.

14) Simili errore Nomentani Fidenates Ficolenses a Plinio bis, et in quarta regione Italiae et in prima, enumerantur. — Ipse Plinius cum alio loco (3, 54) scribit Latium a tergo includi Aniene, Tibur Latio vindicat.

15) Numquam videtur dubitatum esse de Tibure, utrum Latinum esset an Sabinum, ut dubitatum est de Nomento et de Fidenis (cf. infra p. 440. 453).

16) Apud Festum quoque p. 321 s. v. *Sanates* mentio fieri videtur alicuius facti ex vetere historia Tiburtium; sed is locus Festi nimium mutilus est quam ut intellegatur.